

ERECTIO CANONICA

SANCTÆ ECCLESIAE CATHEDRALIS

LEONENSIS

FORMATA BULLAM

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII PAPÆ NONI

*Ynfra transcriptam.*

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

Biblioteca Valverde y Tellez



Dipografia Pauli Gomez in civitate Leonensi:

Anno MDCCCLXIV

Capilla Alfonsoina

Biblioteca Universitaria

038762

BX855  
P5  
c.1

CIÓN GENERAL DE BIBLIOTE

30




BX 855


P 5



1080027732



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ



NOS Iosephus Guadalupe Romero, in utroque jure Doctor, Imperialis Guadalupensis Ordinis Eques, in Metropolitana Ecclesia Doctorali Praebenda insignitus, et ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Doctore D. Clemente a Iesu Munguia Dignissimo Archiepiscopo Mechoacanensi, ad erectionem et ordinationem novae Dioecesis Leonensis specialiter Subdelegatus: universis et singulis has nostras litteras inspecturis et lectruris, salutem in Domino sempiternam.

Praefatus Illustrissimus ae Reverendissimus Dominus D. Clemens a Iesu Munguia a Sancta Apostolica Sede immediate delegatus ad exsequenda omnia et singula quae ad erectionem et ordinationem novi Episcopatus Leonensis spectant, vigesima tertia die Novembri anni millesimi octingentessimi sexagesimi tertii missit ad Nos decretum tenoris sequentis:

“Nos, Clemens a Iesu Munguia, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Mechoacanensis, Pontificio Solio Assistent, Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX Praelatus domesticus, et ab eodem Sanct. Dom. Nost. ad omnia et singula quae ad erectionem et ordinationem novi Episcopatus Leonensis spectant specialiter Delegatus: dilecto Filio Nostro Doctori Iosepho Guadalupe Romero, in nostra Mechoacanensi Ecclesia Cathedrali Praebenda Doctorali insignito, salutem in Domino sempiternam.

Placuit Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae Nono Mexicanorum Antistitum votis, de erigendis novis Dioecesibus in mexicana Provincia, benigne indulgere, et Mechoacanensem Ecclesiam in Metropolitanam constituere, et Dioeceses Leonensem

001130

et Zamorensem creare et stabilire, atque ut rem effectui commendaret, Nos ad tantae rei exsecutorem eligere ac deputare. Ideoque Apostolicas adjunctas litteras ad praefatam Dioecesis Leonensis erectionem nobis expediri mandavit. Quas quidem litteras, ea qua decuit reverentia et submissione suscepimus ac legimus. In eis dictis litteris videbis omnia et singula quae nobis commituntur, ac praecipue amplissimam facultatem subdelegandi commissionem praefatam a nobis acceptatam. Quapropter, Nos, Clemens a Iesu Munguia, Archiepiscopus Mechoacanensis, cupientes, ut verus et obediens Filius, apostolica iussa diligenter exequi, et non valentes ea per nos ipsos adimplere; eadem auctoritate apostolica qua fungimur, omnes et singulas facultates nobis commissas in praefatis litteris tibi sponte subdelegamus; et volumus ut transeas ad civitatem Leonensem, atque in ejus Ecclesia Parrochiali eas palam poenitusque perlegas, et solemniori forma qua possis, canonice promulges; atque juxta ipsarum strictum tenorem, omnia et singula in ipsis contenta fideliter adimpleas. Dein autem, de his peractis rebus Nosmet authenticō documento certiores diligenter facias. Sic porro existimamus Sanctissimi Domini Nostri mandata fore, quoad nos plane, in id operis adimpta.

In quorum fidem, hanc amplissimam subdelegationem manu nostra signamus, et sigillo nostro communiri jussimus. Datum et actum in civitate mexicana, die decima sexta Novembris, anno Domini millesimo octingentissimo sexagesimo tertio.—  
CLEMENS A IESU, Archiepiscopus Mechoaconensis.”

Cum praeinserto decreto simul accepimus Bullam Beatisimi Domini Nostri, felicis recordationis, Pii Papae Noni, super erectione et ordinatione ejusdem Episcopatus. Haec Bulla, de verbo ad verbum, est ut sequitur:

“In nomine Domini Amen.”

“Cunctis ubique sit notum quod anno a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi millesimo octingentessimo sexagesimo tertio, die vero XXV mensis Martii, Pontificatus autem Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae Noni anno decimo septimo, Ego officialis deputatus vidi et legi quasdam litteras Apostolicas sub Plumbo expeditas tenoris sequentis videlicet.”

“Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Gravissimum solitudinis et procurationis Eccle-

siarum omnium a Supremo animarum Pastore humilitati Nostrae commissum enixe postulat ut, non modo nihil omissimus ad Christianam Religionem provehendam atque augendam, sed hujusmodi rei occasiones, quoties opportune se offerant, lubenti animo complectamur et quaeramus. Idcirco Nos ab ipso Pontificatus Nostri initio ubique terrarum Episcopales Sedes, ut putimus, constituendas curavimus, satis compertum habentes nullam rem posse magis conferre, ad civilis etiam societatis vulnera curanda, quam si statuantur Episcopi qui, in omnibus laborantes, et ministerium suum implentes, sanam orthodoxamque doceant doctrinam, bonos tueantur bravosque corrigan mores, ac Populum sibi creditum ad pacem, pietatem obedientiamque ore tenus inflammat.”

“Pronas itaque aures accomodavimus precibus venerabilis Fratris Nostri *Clementis Munguia*, Antistitis Mechoacanensis, exponentis: Dioecesem suam Mechoacanensem in Mexicana Republica latissime protendi, Incolarumque numerum admodum augescere, nec unum sufficere Episcopum ad occurrentum eorum spiritualibus indigentias; ac in votis esse, ac debeat, ut ex amplissimo hoc Dioecesano territorio, dismembrationi jam obnoxio pro integro constituendo Episcopatu *Zamoræ* ac pro parte efformanda alterius novae Dioecesis de *Chilapa*, alia etiam proinde conflari queat Episcopalis Cathedra et Sedes in civico oppido *Leonensi*, in Provincia Guanajuato ejusdem Mexicanae Republicae, quod, licet ipsius Provinciae centro situm haud sit, nihilominus rerum copia, frequenti commercio aliquique circumstantiarum momentis appriime eligendum atque aptior videtur, humillimis tandem supplicationibus ut propositum hoc consilium, consultationibus aliorum Mexicanae Republicae Episcoporum probatum, pro Christianae illius plebis salute plenissime excipere dignaremur.”

“Nos propterea qui jam in Apostolicis litteris postremae provisionis dictae Mechoacanensis Ecclesiae Nobis et huic Apostolicæ Sedi facultatem reservavimus novam Dioecesis Mechoacanensis circumscriptionem, Nostro ejusdemque Sedis arbitrio quocumque tempore ineundi, quique Beatri Petri Cathedram, licet indigni, ex Eterni tamen Numinis voluntate ascensi, assiduum de dimus operam ad ea Christifidelibus commoda procuranda quibus ad sanctitatem et justitiam magis magisque, hisce praesertim temporibus, mores suos componerent; nullaque in re ardentius adlaboravimus, quam in universo terrarum orbe munere Nobis divi-

nitus commisso impigre fungeremur, Pastoralia memorati Clementis Antistitis vota benigno favore prosequi volentes, omnesque et singulos quibus hae Nostrae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliquis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie respective absolventes et absolutos fore censemtes, necnon effati Clementis Antistitis assensum ultra lubentiusque praestitum, ratum acceptumque habentes, ac aliarum omnium in hujusmodi negotio interesse habentium vel habere quomodolibet praesumentium consensui, ex supra in singulis Ecclesiis apostolica auctoritate quam plenius harum serie supplentes, cunctis quae inspicienda erant matura deliberatione perpensis, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae postestatis plenitudine, Paroecias quae in Provincia Guanajuato continentur, et Leon, Comanja, Dolores, Guanajuato, Marfil, Pueblos del Rincon, Santa Ana Guanajuato, San Diego del Bizecho, San Luis de la Paz, San Miguel el Grande, San Pedro de los Pozos, San Pedro Piedragorda, Silao, Irapuato, Villa de San Felipe, et Vicaria del Jaral appellantur, a Metropolitana Dioecesi Mechoacensi, una cum suis, quotquot per ea loca existunt, rebus, Ecclesiis, Oratoriis utriusque sexus, incolis cuiusquamque sint gradus ordinis et conditionis, Religiosorum Fratrum cenobiis, Monialium claustris, coeterisque de more accessoriis, apostolica auctoritate perpetuo disjungimus et dismembramus, ac ordinaria jurisdictione et spirituali dominatione hodierni et pro tempore existentis Episcopi Mechoacanensis eadem auctoritate eximimus et dissolvimus: civitatem vero Leonensem, quae pro caeteris insitis oppidis aptioribus et opportunis praerogativis praestare censetur, ad civitatis etiam Episcopalis fastigium, fruituræ deinceps omnibus et singulis honoribus, juribus, privilegiis, gratiis et favoribus quibus modo caeterae Episcopales in Mexicana Republica civitates de communi jure legitimoque usu insigniri et frui solent, apostolica auctoritate praefata, etiam perpetuo evehimus et attollimus, atque eam in Episcopatus noviter constituendi Leonensis, ejusque in tempore Antistitis residentiam erigimus.”

“Porro, quem perhibitum sit, templum quod pro Cathedrali erigeretur in promptu nondum esse, quoniam ejus aedificio adhuc manus imponitur, hinc Parochiale illam Leonensem Ecclesiam interim in Cathedralem, sub eadem utique invocatione permansuram, ac eamdem servaturam Parochialitatem, cum animarum cura sicuti entea-

excerenda; dicta apostolica auctoritate provisorio modo instituimus, jubendo ut, vix alterum majus templum extrectum perfectumque undequaque fuerit, ac Deo in honorem Beatissimae Virginis *Lucis* nuncupatae dicatum, tunc Sedes et Cathedra Episcopalis illuc erunt transferenda, ibique pro *Pastore Leonensi* perpetuo statuenda; ac praecipiendo, ut in Cathedrali praedicta erigatur *Sedes, Cathedra et Dignitas Episcopalis*, pro uno in posterum Antistite *Leonensi* nuncupando, qui eidem Episcopali Ecclesiae et Dioecesi atque Clero et populo praesit, ac ecclesiasticae suae jurisdictionis ordinariae gubernio probe salubriterque prospiciat; Religionem *Catholicam, Apostolicam, Romanam*, una cum suis iuribus et praerogativis quibus ex Dei ordinatione sacrorumque canonum constitutionibus frui debet omnino sanitatem tectamque tueri magisque promovere satagit; sacram suae Dioecesis visitationem, statutis per eosdem canones temporibus, obire; synodus Dioecesanam aliquando convocare et confidere: suas instructiones, ordinationes, mandata et decreta, tum ad Ecclesiasticae administrationis munera quaquaversus explenda, tum ad rectam morum disciplinam observandam erogare et efficaciter promulgare; eaque omnia quae Pastoralis sui Ministerii, suique fori ecclesiastici rati, rerumque item ecclesiasticarum sive necessitas sive opportunitas requirunt, animadvertere, ordinare et decernere valeat et debeat, quin ab ullo unquam distrahi vel praepediri quovis utecumque colorato titulo ullatenus possit: communionem denique obviam et prorsus liberam cum universo clero et populo, eoque magis cum hac *Sancta Apostolica Sede* semper et quandocumque habere et tueri curet et gaudeat: aliisque omnibus et singulis defungatur quae Episcoporum ordinarie propria sunt, ac ea cuncta, sive personalia, sive realia, sive mixta iura, honores, facultates, praerogativas, praementiarias, ac caetera quibus alii Mexicanæ Reipublicæ Episcopi rite fruuntur, pariter plane que obtineat.”

“Novae autem sic erectae Episcopali Ecclesiae Leonensi Paroecias superius indigitatas in propriam Dioecesim, ita ut ea ad Aquilonem cum Dioecesi Potosensi, in linea quae vicariam *Jaral* saeparat; ad Austrum cum Dioecesi Mechoacanensi, in linea quae hodie Paroecias *San Pedro Piedragorda, Irapuato et San Miguel el Grande* dividit a Paroeciis *Cuitzeo de los Naranjos, Salamanca, Acámbaro, Celaya, San Juan de la Vega et Chamacuero*, quae postremo Dioecesi Mechoacanensi subjectae remanebunt; ad Orientem vero cum altera erigenda Dioecesi de Querétaro; tandem ad Occidentem, cum Dioecesi de *Guadalajara*, pari Apostolica Auctoritate perpetuo quoque adjudicamus: ac nedum civitatem Leonensem, sed et caetera

per ea loca consita, oppida, pagos, res Ecclesiasticas, Oratoria Religiosa, item utriusque sexus Monasteria, et pia quaeque instituta, consuetaque accesoria, cum omnibus et singulis utriusque sexus incolis, qui tamen specialis exemptionis privilegio minime gaudeant, confessim ordinariae pro tempore existentis Episcopi Leonensis jurisdictioni, administrationi atque regimini, simili Apostolica auctoritate subjicimus; jubendo ut omnia instrumenta, libri fundationis ecclesiasticae, in piis causas testamenta, ac reliqua scripta ecclesiasticos titulos, personas ac Paroecias ut supra disjunctas, earumque jura, rationes seu privilegia respicientia, a Mechoacanensi Cancellaria pro opportunitate secernantur, ac alteri Leonensi Chancellariae, ad quameumque necessitatem et normam tradantur.”

“Praeterea ad Capitulum Cathedralis quod attinet, Nos, habita peculiarium circumstantiarum ratione, interim eadem apostolica auctoritate praecipimus, ut quamprimum in ipsa Cathedrali, juxta sacrorum Canonum praescriptum, erigatur Capitulum quod Dioecesano Praesuli operam debitam et reverentiam afferre debeat: ac, usque dum maiores decimarum redditus numerum Canonicorum et Beneficiariorum pro necessitate adaugere non sinant, septem pro nunc consistabit Canonicatibus cum suis Praebendis et dotationibus, quorum primus dignitate honestetur Archidiaconatus, alter vero Poenitentiarius sive Magistralis sit, et alter Theologalis seu Doctoralis, cum suis respective adnexis honoribus et oneribus: coeteri tandem quatuor de gratia appellantur, pro totidem Ecclesiasticis idoneis viris qui quotidie divino cultui ex more institutoque inservire et ecclesiastica officia sedulo absolvere, ac cunctis honoribus, juribus, facultatibus, praerogativis, gratiis, favoribus et privilegiis, quae de communi iure caetera in Mexicana Republica Cathedralium Capitula fruuntur, potiri debeat, praescripto concursu, ad tramites sacrorum Canonum et apostolicarum Constitutionum, quoad Poenitentiariam et Thelogalem Praebendas hujusmodi; ac superaddito pro nunc sex Beneficiariorum seu Capellanorum numero, qui et Choro interesse, et altari in officiis Diaconatus et Subdiaconatus rite deservire, et coetera, tum Capitulo, tum Ecclesiae obire teneantur munia, quae Episcopus opportunius ipsis commitere consultat, reservatis eis praerogativis et gratiis, quibus aliorum hujusmodi Cathedralium Beneficiariorum seu Capellanorum coetus potiuntur. Cui quidem Capitulo, ut omnes Canonicci et Beneficiarii seu Capellani, tam in dicta Cathedrali Ecclesia, quam extra eam, [Dioecesanos tamen intra limites] quoties capitulariter convenerint, indumenta et insignia choralia, quae communiter tum Canonicis, tum Beneficiariis caeterarum Cathedralium Mexicanae

Reipublicae usu venerant[his dumtaxat exceptis quae forsitan peculiari ex privilegio vel oneroso titulo impedita fuerint] libere et licite gestare et adhibere valeant, dicta Apostolica auctoritate perpetuo item concedimus et indulgemus. Eidemque Capitulo veniam et facultatem tribuimus et impetrinur conficiendi sibi capitularia Statuta, ordinationes, et decreta sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, et Tridentinae praesertim Synodi praescriptis consentanea, quae Leonensis Praesulis iudicio subdenda sint, et non nisi post ejus approbationem roboratam legis vim obtineant.”

“Jam vero, cum in votis sint ut in ea Christi Domini vinea plures continuo succrescant boni operarii qui ipsam late queant percoleare, utque tum Episcopi, tum Capituli aliorumque cultorum hujusmodi sustentationi et incolumenti provideatur, ideo pari Apostolica Auctoritate statuimus, ut clericorum Seminarium illico institui debeat in Collegio a Sancto Francisco Salesio nuncupato, in totum ad praefati Concilii Tridentini normam; et Ordinario concredatur.”

“Itemque, ut decimarum solutione dotationibus satisfiat, tum pro Episcopali mensa, tum pro Cathedralis Capitulo ejusque Fabricae tuitione et sarcitione, tum pro omnibus cultus expensis, tum denique pro Hospitalibus Ecclesiasticorum et Parochis, neconon aliqua ex parte pro Seminario Dioecesano; ita nempe ut, detractis expensis pro decimarum perceptione, et scutatis sex pro quolibet centeno fabricae Cathedralis Ecclesiae quotannis religiose attribuendis, medietas decimarum, in duas aequas partes divisa, una Episcopo, et altera Capitulo permanenter solvantur; et quae Capitulo contigerit in septuaginta tres portiones subdividatur, quarum tredecim Archidiacono, et decem cuivis ex sex Canonicis tradantur; altera vero medietas novem partes adhuc efficiet, ex quibus tres Parochis Dioecesis, supputato nempe reditu respectivo Paroeciarum, ac una cum dimidia Fabricis, et item una cum dimidia Nosocomiis et Hospitiis earumdem Paroeciarum, neconon duae Seminario, ac reliqua una Beneficiariis Cathedralis: quae quidem postrema in quatuordecim dividatur portiones, quas Ordinarius eisdem Beneficiariis tribuet, juxta Ecclesiastica quoque munia ab Ipso eis collata, et quibus iidem Beneficiarii satisfacie tepeantur; potestatem impetrando ipsimet Ordinario ut, quandcumque et quomodocumque decimarum redditus adiuncti fuerint, tunc Is pro meliori, sive Cathedralis Ecclesiae, sive Capituli, sive Parochorum et Paroeciarij, sive Hospitalium, sive Dioecesani Seminarii augmento atque utilitate, libere de eis disponere queat.”

“Tamdem, memoratam Episcopalem Ecclesiam *Leonensem* in suffraganeam mox erigendi Mechoacanensis Archiepiscopatus, cum omnibus quibusque juribus, honoribus, praerogatis, gratiis, et indultis quae pariter caeterae suffraganeae Ecclesiae Metropolitanarum in Mexicana Republica ac vicissim solent de jure praeseferre, legitimoque in usu tueri, dicta Apostolica Auctoritate subjicimus; ac canonica ejusdem *Leonensis* Ecclesiae taxam pro Litterarum Apostolicarum expeditione, quoties Antistes illi praeſiciendus fuerit, in aureis Florenis de Camera centumquinquaginta tribus, cum tertia ejusdem Floreni parte statuimus, sique in libris Camerae Apostolicae Sacrique Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegii inscribi et observari mandamus.”

“Et insuper Nobis et Apostolicae Sedi facultatem reser-  
vamus novam ipsam Diocesim Leonensem iterum aptiusque  
circumscribendi, quando et quomodocumque visum fuerit in Do-  
mino magis expedire. - Praesentes quoque Litteras de subrep-  
tionis vel obreptionis aut nullitatis, aliove quocumque vitio seu  
intentionis nostrae, aut quolibet alio defectu quantumvis juridico  
et substantiali, etiam ex eo quod omnes et singuli in praemissis  
quomodolibet interesse habentes vel habere putantes aut praetendentes, cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, et  
dignitatis existant ad id vocati, citati et auditи non fuerint, ac  
iisdem praesentibus non consenserint, ac causae propter quas  
praemissa omnia et singula emanarunt minime vel nimias suffi-  
cienter examinatae faerint, et ex quocumque alio capite, quantu-  
mis legitimo, pio, privilegiato ac speciali nota digno impug-  
nari, retardari, invalidari ac infringi aut irritari, seu ad viam et  
terminos juris reduci, aut adversus illas oris aperitionem, seu  
aliud quodcumque juris vel facti, aut gratiae seu justitiae reme-  
diuum, etiam ex causa laessionis, quantumvis enormis et enor-  
missimae, vel cujuscumque praejudicij impetrari, ac etiam motu,  
scientia et potestatis plenitudine similibus per quoscumque  
Romanos Pontifices Successores Nostros quomodolibet contra  
praemissa concessum acceptari ac in judicio et extra illud alle-  
gari, deduci aut alias illo quomodolibet uti non posse, quinimo  
omnia et singula superius disposita semper et perpetuo firma,  
valida et efficacia existere, suosque plenarios et integros effec-  
tus sortire et obtinere, illaque sub quibusvis similiis vel dissimiliis

miliis gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus,  
derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam consis-  
torialibus minime comprehendendi nec comprehensa aliquomodo  
censeri, sed semper ab illis excipi et quoties illa emanabunt, to-  
tis in pristinum et validissimum statum restituta, reposita et ple-  
narie reintegrata ac de novo etiam sub quacumque posteriori  
data quandcumque eligenda concessa esse et fore, sicque et  
non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos, quavis  
auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Au-  
ditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de  
Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuntios, ac  
alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativa,  
honore et praeminentia fungentes, sublata eis et earum cuilibet  
quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate,  
judicari et definiri debere; et quidquid secus super his a quoquam  
quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, ir-  
ritum et inane decernimus.”

“Quocirca memorato Clementi Antistiti per easdem praesentes committimus et mandamus quatenus ad exsequutionem praemissorum omnium procedat, oportunas *Ei* impertiendo facultaes, quibus *Is* alteram quoque personam, Ecclesiastica tam dignitate praestantem, subdelegare valeat: ita quod idem Clemens Antistes vel ejus Subdelegatus decoram in dicta civitate Leonensi seligat opportunamque habitationem quam novo Episcopo in liberam proprietatem pro se proque Vicario Generali, et Episcopali Chancellaria adsignabit; necnon ea cuncta posse ordinare, disponere, declarare, ac etiam definitive, appellatione super quavis quaestione, si qua forsan insiderit, poenitus remota, decernere quae opportuerint ad totum hoc negotium probe feliciterque perficiendum, non obstantibus Nostris et Chancellariae Apostolicae Regulis de jure quaesito non tollendo, ac de dismembrationibus ad partes committendis vocatis quorum interest, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati dismemberationes perpetuas nisi in casibus a jure permisis fieri prohibentis, aliisque etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, universalibusque Conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque Mechoacanensis Ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudi-

nibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, aut alias cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliis efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis irritantibus et aliis decretis etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, itemque consistorialiter seu alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omissio et forma in illis tradita observata inserte forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permanuris latissime et amplissime, ac specialiter et expresse, ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemisorum, hac vice dumtaxat, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque et qualibet alia dictae Sedis Apostolicae indulgentia speciali vel generali cujuscumque tenoris existat per quam ipsis praesentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus earum impediri vel differri et de qua cujusque toto tenore habenda sit in ipsis litteris mentio specialis."

"Volumus etiam quod effatus Clemens Antistes ejusve Subdelegatus sex infra menses ab expleta earumdem praesentium exequitione ad hanc Sanctam Sedem transmittere teneatur exemplar authentica forma exaratum quorumcumque decretorum in exequitione ipsa ferendorum, ut hac etiam in archivio Congregationis ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Consistorialibus negotiis praepositae, ad perpetuam rei memoriam et normam conserventur. Volumus etiam quod praesentium litterarum trassumptis, etiam impressis manu tamen alicujus Notarii Publici subscriptis et sygillo alicujus personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra illud adhibeatur quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae."

"Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostre absolutionis, suppletionis, dismembrationis, exemptionis,

erectionis, institutionis, jussi, adjudicationis, paecepti, concessionis, indulti, subjectionis, reservationis, decreti, commissionis, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis antem hoc attentari paeceptum sumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum."

"Datum Romae, apud Sanctum Petrum: anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentessimo sexagesimo secundo; septimo Kalendas Februario; Pontificatus Nostri anno decimo septimo.—Loco † Plumbi."—Super quibus Litteris Ego Notarius Apostolicus praesens trassumptum confeci, praesentibus D. D. Henrico ac Coesare Angelini testibus. B. N.—Concordat cum originali:—A. Giansanti officialis Deputatus.—MARIUS CARDINALIS MATTEI, Prodatarius.—Ita est: pro Domino Ludovico FAUSTI:—Aug. Patuzi Notarius Publicus —Henricus Angelini.—Cesar Angelini."

Nos igitur Josephus Guadalupe Romero, cupientes apostolica jussa nobis in exequitionem subdelegata fideliter exsequi, praedictam comissionem acceptavimus; et eadem auctoritate apostolica qua fungimur in hac parte, ad honorem et gloriam Sanctissimae et Individuae Trinitatis, ac Domini Nostri Iesu Christi Veri Dei Filii, Almaeque ejus Matris Beatae Mariae Virginis de Luce, in cuius et sub cuius titulo Cathedralis Ecclesia Leonensis a Sanctissimo Papa Pio IX erigi jussa est, solemniori quo possumus modo, statuimus:

I.

Supradictam Apostolicam Bullam solemniter lectam et canonice promulgatam *inter Missarum solemnia* in Ecclesia Parochiali Civitatis Leonensis die decimaquarta Februarii istius decurrentis anni, in exequitione mandare omnino decrevimus, sicuti re ipsa mandamus ea omnia quae in supradictis Litteris comperiuntur.

II.

Singulæ paraeciae in laudatis Litteris refertae, videlicet, Comanxa, Dolores, Guanaxkato, Irapuato, Leon, Vicaría del Jural, Marfil, Pueblos del Rincon, San Pedro de los Pozos, San Luis de la Paz, San Miguel el Grande, Santa Ana de

Guanaxuato, San Diego del Biscocho, San Felipe, San Pedro Piedragorda et Silao, quae ad dioecesem Michoacanensem pertinebant, disjunctae ac in posterum dismembratae ex antiqua Dioecesi habeantur: et ex his omnibus nova Leonensis Dioecesis constituantur, quae ex hoc nunc rite et recte a Nobis, Apostolica Auctoritate fuitis saeparata, segregata ac penitus libera sit; et sic in posterum permaneat ab antiqua Dioecesi Michoacanensi et a jurisdictione Dioecesana illius Episcopi; et subjecta omnino juxta Sacrorum Canonum sanctionem Illmo. Domino Doctori D. Josepho Mariae a Iesu Diez de Sollano, Episcopo ad illam regendam nuncupato, ipsiusque legitimis successoribus.

III.

Proinde, vi nostrae Subdelegationis mandamus, ut Dioecesis Leonensis ita constituta ordinariae praelaudati sui. Praesulis et ipsorum Successorum jurisdictioni, regimi, atque administrationi omnino subsit, una cum omnibus et singulis civitatibus, populis, oppidis, pagis, et terris, unaque itidem cum quibusvis Paroeciis, Ecclesiis, earumque beneficiis, oratoriis, monasteriis utriusque sexus, quae specialis exceptionis privilegio minime gaudeant, rebus, bonis, juribus, coeterisque demum annexis, absque ulla reservatione ex parte Michoacanensis Archi-Dioecesis.

IV.

Simili modo, vi ipsius Subdelegationis, Episcopi Leonensis pro tempore existentis jurisdictioni, administrationi atque regimi subjicimus utriusque sexus monasteria, et pia quaque insituta, confraternitates, consuetaque eorumdem accessoria cum omnibus et singulis utriusque sexus incolis; ut illis praefatus Episcopus verbum Dei praedicet, Sacraenta instituta a Christo Domino, aliaque spiritualia ministret et ministrare faciat, nec non in Ecclesia et civitate ac Dioecesi praedictis Dioecesanam jurisdictionem, auctoritatem et potestatem libere excercere valeat; ac Dignitates et Canonicatus et Praebendas aliaque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura erigat et instituat: et alia spiritualia conferat et seminet, prout Domini cultus augmento et ipsorum incolarum spirituali saluti expedire cognovet.

V.

Iudem jubemus ut omnia instrumenta, libri, fundationes Ecclesiasticae, in piis causas testamenta, ac reliqua scripta ad Ecclesiasticos titulos vel personas ac paroecias jam disjunctas, earumque jura, rationes seu privilegia respicientia, a Michoacanensi Chancellaria, pro opportunitate temporis, secernantur; ac alteri Leonensi Chancellariae, ad quamcumque necessitatem et normam tradantur.

VI.

Sit autem in comperto declaratum quod, canonice citatis et annuentibus Illustrissimis ac Reverendissimis Dominis Archiepiscopis Michoacanensi et Guadalaxarensi, atque Illustrissimo Domino Episcopo Potosiensi, Leonensis Dioecesis fines erunt: Aquilonem versus usque ad Dioecesanos limites potosienses, in linea ipsa quae hodie vicariam Jaral et paroecias San Felipe et San Luis de la Paz, segregat ab illis, iisdem omnino limitibus quibus usque nunc a Potosiensi Dioecesi Michoacanensis divisa est. Ad Austrum et Sud-Este, in linea quae hinc et nunc saeparat paroecias San Pedro Piedragorda, Irapuato, Marfil, et San Miguel el Grande, a paroeciis, Penjamo, Cuitzeo de los Naranjos, Valle de Santiago, Salamanca, San Juan de la Vega et Chamacuero, quae postremae Archiepiscopo Michoacanensi subjectae remanebunt. Ad Orientem vero patere debet usque ad alteram nuper erectam Dioecesem Queretarensem, in linea ipsa quae dividit paroeciis San Luis de la Paz, Pozos et San Miguel el Grande a paroeciis Mineral de Xichú, Mision de Arnedo, Xichú de Indios et Casas Viejas. Tandem, ad Occidentem, et Austrum et Aquilonem, in linea ipsa quae saeparat hodie paroecias Piedragorda, Pueblos del Rincon, Comanxa, et San Felipe a paroeciis Arandas, Adoves, Lagos et Ojuelos ad Archidioecesim Guadalaxarensem pertinentibus. Ille fines clarius designantur in Charta geografica totius Leonensis Dioecesis a Nobis efformata, et huic instrumento adjuncta.

VII.

Eadem Apostolica Auctoritate perpetuo erigimus civitatem Leonensem in civitatem Episcopalem, et illius Ecclesiam in Ca-

thedralem Ecclesiam, sub invocatione et Patrocinio Beatissimae Mariae Virginis *de Luce*.

VIII.

Porro, cum templum majus Beatissimae Mariae Virginis *de Luce* in eadem civitate erectum, nondum perfectum undequaque fuerit, dum illud perficitur, templum Parochiale Collegio Sancti Francisci Salesii adjunctum provisorie et ad interim in Cathedralem sub eadem invocatione Beatae Mariae Virginis instituimus; eandem servando parochialitatem cum animarum cura.

IX.

Sed, cum alterum templum majus antea nominatum, in formam Cathedralis Ecclesiae constructum perfectumque fuerit, ac Deo, in honorem Beatae Mariae Virginis *de Luce* dicatum; tunc Sedes et Cathedra Episcopalis illuc erunt trasferenda, ut Pastor omnia Episcopalia munia expedite in eo obire possit.

X.

Praeterea, eadem auctoritate Apostolica, in supradicta Ecclesia Leonensi ad Cathedralis honorem eveta, Canonicorum Capitulum supradictus Episcopus *Leonensis* erigere queat: et Dignitates, et Canonicatus et Praebendas, aliaque beneficia et officia ecclesiastica, quotquot, et prout melius praefato Episcopo ejusque successoribus videatur, juxta Sacrorum Canonum praescripta, tam in civitate Leonensi, quam per totam Dioecesim erigere et insituere valeat.

XI.

Itidem, tenore praesentium Litterarum erigimus, creamus et instituimus in capitulo Leonensis Ecclesiae Cathedralis Archidiaconatum, unica dignitas quae post Pontificalem in eadem Ecclesia pro nunc existere debet; qui curet et provideat quod divina officia et alia quae ad verum Dei cultum pertinent, ea qua decuit reverentia, honestate, et modestia, rite ac recte perficiantur: ad quem etiam pertinebit, defectu Episcopi, praesidentiam Capituli et ea omnia jura et onera quae, juxta Sacrorum Canonum praes-

cripta, de jure vel de legitima consuetudine in Michoacanensi Cathedrali Ecclesia ad primam Capituli Dignitatem spectant.

XII.

Creamus etiam et instituimus sex Canonicatus cum suis dotationibus, quorum alter Poenitentiarius vel Magistralis sit; et alter Theologalis seu Doctoralis, cum suis respective annexis honoribus et oneribus: Coeteri tandem quatuor *de gratia* appellati, pro totidem Ecclesiasticis idoneis viris qui quotidie divino cultui ex more instituto inserviant; praescripto tamen concursu, ad tramites Sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum quoad Poenitentiariam, Magistralem, Doctoralem vel Lectoralem Praebendas. Decernimus etiam ut Canonici sic creati cunctis honoribus, juribus, facultatibus et praerogativis quibus *de communi jure* coeteri Canonici Mexicanae Provinciae fruuntur, potiri debeant.

XIII.

Ad Archidiaconalem autem Dignitatem et ad eos Canonicatus, neminem Collationem Canonicam istorum beneficiorum accipere posse decernimus, nisi ad Sacrum Praesbyteratus ordinem jam sit promotum, quia ad eos quotidie Missam solemnem celebrare spectabit.

XIV.

Ordinamus insuper, ut festivitatibus primae et secundae dignitatis, tantum Episcopus, vel eo impedito, Archidiaconus Missas solenniores in Cathedrali Ecclesia celebrare queant: coeterique Canonici, juxta strictam antiquitatis sequelam, in reliquis diebus Missam solemnem cantare debent.

XV.

Eadem Auctoritate Apostolica statuimus, ut Parochus Sacrarii Ecclesiae Cathedralis post ultimum Canonicorum in Choro locum habere possit, Episcopoque cum illis ministrare et inservire.

XVI.

Decernimus etiam, ut Sex Capellani instituantur qui in Choro interesse, et altari in officiis Diaconatus et Subdiaconatus rite ac rec-

te deseruire et coetera, tum Capituli, tum Ecclesiae, obire teneantur munia: videlicet Notariae ipsius Capituli, Magistri Caeremoniarum, Sachristae, Punctatoris, &c.

XVII.

Apostolica dicta Auctoritate perpetuo concedimus et indulgemus eidem Capitulo veniam et facultatem conficiendi sibi Capitularia statuta, ordinationes et deereta, Sacris Canonibus, Constitutionibus Pontificiis et Tridentinae praesertim Synodi praescriptis consentanea, quae Leonensis Praesulis iudicio subdenda sint, et non nisi post ejus approbationem, roboratam legis vim obtineant.

XVIII.

Praeterea, concedimus et indulgemus eidem Capitulo, ut omnes Canonici et Capellani, tan in dicta Cathedrali Ecclesia, quam extra eam, (Dioecesanos tamen intra limites), quoties Capitulariter convernint, indumenta et insignia Choralia quae communiter, tum Canonici, tum Beneficiariis coeterarum Cathedralium Nationis Mexicanae usuvenient, libere et licite gestare et adhibere valeant, exceptis quae ex peculiari privilegio a Sancta Sede aliis Capitulis imperita fuerint.

XIX.

Insuper volumus et ordinamus ut Acolythus, Organistas, Cantores, Perticarios, Oeconomos Fabricae vel Hospitalis, Notarios Capituli, Coeremoniarum Magistros, Punctatores, Sachristas et Canicularios Ecclesiae Cathedralis; necnon omnes in decimarnm officinis et colectatione servientes, Capitulum libere eligere, et justis de causis remove-re queat.

XX.

Et quoniam qui altari serviunt, de altari vivere debent, auctoritate apostolica fulti decernimus et ordinamus, ut Episcopo Leonensi, et omnibus et singulis dignitatibus, Canoniciis et beneficiariis et Seminario, et fabriciis Cathedralis et Parochiarum, et Hospitalibus, et Parochis, substantatio et incolimitas provideantur de Decimaru-m et Primieiarum fructibus, juxta hunc qui sequitur modum.

Detractis expensis pro decimaru-m perceptione, et segregatis sex pro quolibet centeno Fabricae Cathedralis Ecclesiae quotannis religiose tribuendis, medietas Decimaru-m in duas aequas partes divisa erit: una Episcopo et altera Capitulo permanenter solvantur: et pars quae Capitulo contigerit in septuaginta tres portiones *pro nunc* subdividatur; quarum tredecim Archidiacono, et decem cuivis ex sex Canoniciis tradatur. Haec subdivitio in septuaginta tres portiones respectu Capituli tandem permanebit, usque dum Decimaru-m productus adacti fuerint; tunc enim arbitrio et conscientia Episcopi et consulto Capitulo alliae dignitates, Canoniciatus, praebendae et beneficia erigi poterunt.

XXI.

Altera vero medietas novem adhuc partes efficiet, ex quibus tres Parochis Dioecesis, supputato nempe reditu respectivo paroeciarum: una cum dimidia Fabricis: item una cum dimidia Nosochomiis vel Hospitalibus vel Hospitiis earumdem Paroeciarum, Dioecesanae tamen auctorati subjectis: duae Seminario: ac reliqua una beneficiariis Cathedralis Ecclesiae assignentur. Quae quidem postrema in quatordecim portiones subdividatur, quas Ordinarius eisdem beneficiariis tribuet juxta Ecclesiastica munia ab ipso eis colata, et quibus iidem beneficiarii satisfacere teneantur.

XXII.

Eadem autem apostolica auctoritate qua fungimur facultatem ipsimet Ordinario impertimur, ut quandcumque et quomodocumque Decimaru-m reditus sufficienter accrescant; tunc eas quatuordecim particulas pro meliori sive Capituli, sive Cathedralis Ecclesiae fabricae, sive Parochorum et Paroeciarum,



sive Hospitalium, sive Colegii Seminarii augmento et utilitate, libere de eis disponere queat.

XXIV.

Item eadem auctoritate Apostolica statuimus, ut praedicta stipendia Dignitatum et Canonicorum et beneficiatorum Cathedralis Leonensis Ecclesiae sint in quotidianis distributionibus parita, et quotidie distributae singulis horis Divini officii juxta decreta Sacrosancti Concili Tridentini, et normam strictam Metropolitanae Ecclesiae Michoacanensis.

XXV.

Insuper ordinamus ut Dignitates, Canonici et Praebendati dictae Cathedralis Leonensis Ecclesiae teneantur residere vel servire in ea per novem menses unusquisque anni civilis continuos aut interpolatos; ita tamen ut non amplius nonaginta diebus, quotannis vacatione gaudeant; alioquin tot quotidianas distributiones amittent, quod horis non interfuerint in choro, absque praejudicio aliarum Canonicarum poenarum.

XXVI.

Decernimus etiam ut officium Divinum, tam in *Missis* quam in Choro, fiat semper secundum consuetudinem Michoacanensis Metropolitanae Ecclesiae, et Missa solemnis quae quotidie in Ecclesia Cathedrali celebratur, pro decimas solventibus coeteisque benefactoribus applicetur.

XXVII.

Cujuslibet autem mensis anni prima die Luna, Missa pro animabus in purgatorio detentis solemniter dicatur post horam officii primam: reliquis vero diebus Missa de prima celebrari possit ad voluntatem et dispositionem cuiuslibet personae voluntatis eam dotare.

XXVIII.

Praeterea memoratam Episcopalem Ecclesiam Leonensem in sufraganeam Michoacanensis Archiepiscopatus erigimus cum omnibus juribus, honoribus et praerogativis quae caeterae sufraganae Ecclesiae in antiqua Mexicana Provincia de jure, vel de legitima consuetudine gaudent; et subjicimus eam jurisdictioni Metropoliticae Archiepiscopi Michoacanensis, ejusque legitimis successoribus.

XXIX.

Item Sanctae Apostolicae Sedi reservamus facultatem aptius circumscribendi novam Dioecesem Leonensem, quando et quomodoquaque vissum fuerit in Domino; et subjiciendi necnon Cathedram ipsam Ecclesiam allio Metropolitano.

XXX.

Pari apostolica auctoritate statuimus, ut Clericorum Seminarium jam institutum in Collegio *Sancti Francisci Salesii* nuncupato, Leonensi Episcopo illico concredatur et ad normam Sacrosancti Concili Tridentini efformetur; ita tamen ut privativae auctoritati ipsius Episcopi omnino subsit, praecipue in designatione textuum in Cathedris edocendorum, in libera admisione alumnorum, et in electione Rectorum, et Magistrorum qui studiosae juventutis praeesse debent.

XXXI.

Decernimus etiam, ut Episcopus Leonensis per se vel per alios viros Ecclesiasticos idoneos, caetera Collegia, et instituta, et scolas sedulo visitet; et curet ut vera et hortodoxa doctrina in eis semper edoceatur, ac juventus sanis moribus efformetur.

XXXII.

Item ordinamus, ut in Leonensi Dioecesi tot beneficia cum cura et sine cura animarum erigantur et ordinentur, quot ex quantitate bonorum Ecclesiasticorum, vel fructuum Parochialium, arbitrio et conscientia Episcopi dotari possint; ita ut supercrecentibus fructibus, acrescat etiam Parochorum et Sachristorum coeterorumque ministrorum copia.

XXXIII.

Volumus etiam, ut domum Episcopalem et curiam caeterasque gubernii Dioecesani officinas, pro nuue, et dum commodior locus ab Episcopo seligatur et asignetur, in praedicto Sancti Francisci Salesii Collegio Seminario, statuantur.

XXXIV.

Statuimus etiam, ut si quando et quomodocumque cathedra Episcopalis Leonensis deinceps vacaverit quin ejus capitulum Canonicorum eatenus fuerit institutum; eo in casu, quoties acciderit, toties esto sui Antistitis Metropolitani eligere ac deputare idoneum dignumque Sacerdotem qui, durante Leonensis Episcopatus vaccinatione, ibidem satageat seu Vicarius Capitularis, cum suis respectivis honoribus et oneribus, donec alter illi Cathedrae Praesul fuerit Canonice suffectus.

XXXV.

Statuimus insuper, quod consuetudines, ritus et mores legitimos et approbatos Metropolitanae Michoacanensis Ecclesiae, Episcopus et Capitulum in nova Leonensi Ecclesia statuere et conservare teneantur.

XXXVI.

Tandem, dicta plenissima auctoritate qua fungimur in hac parte, et melioribus modo, via atque forma quibus possumus et de jure devemus, de novo erigimus, creamus, instituimus et ordinamus ea omnia et singula quae in praemissis apostolicis litteris continentur: et declaramus Leonensem Dioecesim et Cathedram et Episcopatum rite et Canonice erectos cum omnibus et singulis ad id necessariis et opportuniis, non obstantibus contrariis quibuscumque; et illis praecipue quae Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX in praefatis litteris voluit non obstare; et intimamus omnibus et singulis praesentibus et futuris cujuscumque status, gradus, ordinis, praeminentiae et conditionis fuerint, ut ea omnia et singula, quaemadmodum a nobis instituta sunt, observent et observare faciant.

In quorum fidem et testimonium hoc praesens publicum instrumentum manu nostra signatum, et per secretarium nostrum subscriptum, serbi et publicari jussimus. Datum et actum in civitate Leonensi die vigesima prima Februarii, anno a nativitate Domini millesimo, octingentessimo, sexagesimo quarto.

Universidad NACIONAL DE NUEVO LEÓN  
Doctor Josephus Guadalupe Romero.

Agapitus Ayala  
Srius.

卷之三

# DAD AUTÓNOMA DE NUEVA CIÓN GENERAL DE BIBLIOTE

Georgijević  
Svetozar

001